STUDIA LITTERARUM EXCITATA. ORATIO IN LAUDEM...

Ioannes Baptista Corvesius





STVDIA LITT RARVM EXCITATA.

ORATIO

IN LAVDEM ORNATISSIMAE FAEMINAE

DEVOTAE MARIAE ORENGHAE

Primariæ rei Litterariæ Vintimilij

INSTITVTRICIS.

ac eiusdem in domo habita.

Autore.

R. D. IOANNE BAPTISTA CORVESIO

Humaniorum Litterarum ibidem Professore.







NICIÆ:

Typis IOANNIS ROMERI

Superiorum permissu 1688.

Illustrissimo Domino

D. IOANNI ANGELO ORENGO

PAVLO HIERONYMO

Clarissimo Patre nato Nobili Vintimil. Patritio, ac Primariæ rei Litterariç Tutori Vigilantissimo.



Vod toto tibi iam ab anno, & eo etiam magis pro mea erga te obseruantia iure optimo debebatur, tùm demùm exoluo, Vir Amplissime, quamquam ve. reor an satis ornatè, vt tua videntur à me merita postulare. rem tibi certè non iniucũdam nuncupo quæ sit tùm te, tùm familia tua digna, quandoquidem de tuo est stipite decerpta proditura in lucem, & quidem seriùs, quam oportuit, ista laudatio te præsertim adire gaudebat, vt cui nullum est ab Authore decus, sit, ita confido, à te Patrono maximum. Tui igitur lucem accipit sub nominis Commendatione Deuota, quò magis tuo tuta patrocinio omnium in ore versetur. & felici fato delectetur. Alium citra inuidiam non poterat ambire Mecenatem, quam quem habuit suæ senectutis Tutorem. Visum erat primum mihi priuatum Opus aggredi, tum fato nescio quo fieri publicum duxi, non tàm vt ambitioni ego meæ consulerem, quàm vt bene meritæ de hac vrbe Feminæ pro eo, quo fungor, officio gratus viderer. Quid enim tàm sanctum, quid tàm honestum, quam vt suus mortuis honor accedat? illis maximè, qui

Spectabili Domino

Io: ANGELO ORENGO

Patritio Intimiliensi

Pro æde ab eo condita ad studia exercenda iuxtà mandatum auunculę suę Deuotæ ad Cęlum euocatę.

IO: FRANCISCI MARTINI

Taurino Niciensis ex Dominis Castrinoui.

Epigramma.

DVlce decus Ligurū spectandus Orengus in orbe
Antiquà renouat maius in Vrbe decus.
Deuotæ est hæres, tantæque Viraginis Heros
Successor Patriam reddit Athene Parem
Pandit Apollineam fragili non cardine molem,
Cętera quem vellent inuida Regna suam.
Vrbs alibi decorata fuit sub nomine Solis,
Mox Intemelium dicitur ara Dei;
Quo si olìm Angelicus millena volumina traxit,
Vt studeant iuuenes, Angelus æde micat.

All' Illustrissimo Sig.r

GIO: ANGELO ORENGO

Legatario della fù Illustrisima Signora

DEVOTA MARIA ORENGA

Institutrice delle Scuole pie nella Città di Vintimiglia

SONETTO.



Entre d'alma Deuota voi mostrate
La mente in adempir prouida cura
Presso l'età presente, e la futura
Gio: Angelo voi stesso immortalate.

Dotò ella Scole pie, voi le fondate
Figlio eletto da lei, non per natura,
Si che herede de i ben con giusta vsura
Gloria recando à lei gloria acquistate.

Ella drizzò nel Ciel felice il volo
Spogliata già del suo corporeo velo,
E voi fiorite ancor in grembo al Suolo.

A voi donque conuien con vero zelo
Sostener sì grand'opra, che voi solo
L'Atlante sete di sì nobil Cielo.

Del Sig. N. N. Patritio
di Vintimiglia.

ORATIO



Intimilij dicturus, quod mihi quidem non medio-
cri laudi ascribo, Vintimilij laudes quam maxi-
ma voce posse pro mei tenuitate ingenij iure op-
timo attexerem, nisi aliò me mea Oratio, & ves-
trum omnium fortuna vocaret. Testor enim re-
motissimas ad id tempus hominum memorias
quantum terra, marique Nominis habeat id Nomen Vintimili-
um, hoc vnum pace vestra dicam, quę afferri so et laudum ma-
xima antiquitas, vestræ est Vrbis laudum minima. Omittam
enim quò citiùs ad rem ingrediar vestram illam morum elegan-
tiam, quę vos iam toti non dico Liguriæ, sed Italiæ commendat,
missam facio vestram in rebus agendis solertiam humanitatis
denique vestrę, pietatis, & Religionis studia prætereo. Vintimi-
lium commendat, qui Deuotam Vintimilio Ciuem commendat.
Quid enim tam proximum? Quid tam intimum Ciuitati, quam
Ciuis? Quis ei fœminæ non faueret, quę se vobis, & sua deuouit,
cui vos quot estis cordi fuistis cuius liberalitas vestra est laus, cuius
studium Vrbis splendor, cuius amor liberales disciplinæ Quo
tandem loco dico Auditores, nempe in eo, quem pios in vius
Deuota Ornatissima vsquequaque Fęmina reseruauit, Qua tan-
dem in domo, & commorari mihi contigit, & Orationem ha-
bere? nempè in ea, quam aspicere nemo, nemo intrare, & præ-
terire iam nemo poterit beneficij immemor; huius ego loci am-
bitu contineor, quo contineri singulos Deuota maluit; Parietes
medius fidius huius ędis ipsi me recreant, ac reficiunt, & siquis
mihi à mei tenuitate ingenij timor exoritur, pręstans omnium
vestrum, singularisque Natura huiusmodi mihi metum minuit.
Non est quod de consequenda vestrum omnium beneuolentia
laborem, non in paregrino recepta solo res est, sed in almę Ciui-
tatis vestrę sinu vnum, certe esset optandum mihi, vt quantum
illa ipsa ad vestram vtilitatem contulit, tantum ego lingua con-
sequi possem, certé tum demum Deuotę par, & digna vobis mea

esset Oratio. Vos vos decet me errantem regere, fatiscentem recreare, & tenuitatem in dicendo meam copia vestra subleuare. Non enim tam mea, quam vestra, aut vestrum omnium res agitur, quanta hic possum voce contendo, Ciuem Ciuem eam, cui inueniri iam par Oratio non potest, non quidem prout illa postulat, sed quantum huius ingenij vis patitur, exornare, ne dicam extenuare, tum perpetua eiusdem in hanc Vrbem merita recolere operæ pretium duco. Hanc ergo Ciuem, dum laudibus prosequar, huius dum Ciuis in vos beneficia recordor, qua cæteros soletis, hac me quoque dicentem humanitate excipite.

Hoc habet pręcipuum Fęmina, vt ei magnum quidquam vltra vires, & sexus ipsius sortem, non dico, præstare, sed ne excogitare quidem per ingenij exiguitatem liceat, ita sensit, aut vt melius dicam somniauit Tucidides. Quid ea opinione amentius, quid ea leuius? Fuerint amentes, fuerint rudes, fuerint ignarę anteactæ illius ætatis Fęminę, amentię verò labe, inscitię, ignauiæ, liceat huius præsertim Vrbis Fæminas carere, vetus illa iam ætas interijt, & ætatis inscitia; iacere olim fæminę consueurunt, nunc vltra sexum assurgunt, quantum illę desipuerant; tantum hæ sapiunt, sit vobis, & mihi instar omnium Deuota, cuius vel nomen, vt est laudum seges amplissima, fæminam nunquam satis laudandam commendat, hæc enim non temerè, aut fato quodam, sed nè qua pars laude vacaret, honoris nomine, aut nominis honore generis splendorem adauxit. Quamquam sunt hæc perexigua laudum semina. quantum ipsi à virtute laudis accedet, cui tantum gloriæ, vel ipsum nomen attulit? Ast diù, diù magis in huius laudum limine pendeo, Deuotam ab ortu iuuat inspicere. Hæc claris orta Parentibus inditum sibi sanguine splendorem cumulauit, vt quãtum ipsi multos iam nota per annos Familia contulit, tantum ipsa Familię restituerit, vix ausim dicere, vtrum plus Familiæ Deuota, aut Deuotæ Familia debeat. Magnę hæ quidem sunt laudes, quę tibi cum Atauis consentiunt, maiores, quas de tuo habes illæ illæ enim quantæ sint, non tam tua, quam tuorum sunt bona, huius vero laudis socium habes neminem; Hic ego omittam teneros non tam tuę ætatis annos, quam maturos ingenij partus, non tam morum rudimenta, quam virtutum incrementa, vt nescias, vtrum magis mirere aut in Iuuene senē, aut in sene sapientem, maiorē ætate constantiam, miram vltra vires sexumq; solertiam: prætereo magnam illam animi vim, mentis robur, viriles vtrobique sensus, & quod ingentis animi specimen fuit virtutis

can-

candorem, morum elegantiam, sermonis comitatem, vultus gratiam, pudorem denique, quo nihil in Feminis potest esse iucundius, ætatis certè illius, siquę sunt virtutes Deuota decerpsit, siquæ vitia declinauit. Vos, vos obtestor huius conscia mentis pectora, vos inquam, vos fidę mentes, quarum nomina, vt pudori parcam conticesco, vestrum est referre, quę cum auribus, tum occulis accepistis, & quorum vos pars magna fuistis quantum illius laudi detrahitis, tantum vestræ adimitis, amicitias quo studio coleret, qua fide aleret, qua beneuolentia contraheret, qua contractas exerceret exponitæ. Deuotam animo, vbi oculis non licet, animaduertite, vt paribus assentitur, minoribus obsecũdat, humilibus morem gerit, vt quantum eis nobilitate prę̄stat, iisdē tantum ingenij facilitate indulgeat. Quis illam adijt iratus, & non redijt mitis? Quis ægro, quis iniquo apud eam animo diù fuit? Cui vnquam irasci? Cui succensere? Quem contumelijs adoriri? Quem conuicijs afficere est ausa? Quid illius vultu iucundius? Quid ore suauius? Quid sermone comptius? Quæ frontis maiestas? Quæ incessus dignitas? Iam vero quid de illius domo dicam? Quid de Deuotæ sedibus? An non foris claruit, an non domi enituit? Quid vnquam domus illa Hospite maior, quam ambitu viderat nisi pudicum? Quid nisi ex optimo more, quid nisi ex æqua disciplina compositum? Fuit illa cum foris clara, tum domi inclyta, nec illa externis magis, quam domesticis institutis laudanda. An ego non admirer in tanta rerum copia modestiam? An ego non prosequar in tanta vbertate temperantiam, in tanta fortuna lenitatem? Non ipsi diuitiæ, sed ipsa diuitijs præerat.

Hoc habent pręcipuum diuitię, vt earum sit insolens natura, vt hominum animos plus ęquo attollant, Non hos patitur Deuota Manes, hæc & modestas esse diuitias, & diuitem esse modestiam erudiuit. Sed omitto id laudum genus, quę non earum sunt partium proprię, quibus tu tibi Vrbem, & te sibi Vrbs obnixè deuinxit. Hic ego vtar benignitate vestra, vt ad illud optatissimum vobis opus ingrediar, quod honori vobis, Vrbi splendori, liberis vestris glorię, posteris ad virtutem incitamento redundabit. Hoc ego loco lubens orationem retexerem, quo magis digna vobis, & noua mihi ratione dicendi Deuotæ munificentiam commendarem, (siqua tamen potest tantam Fæminæ munificentiam oratio commendare) Quid ego de huius in hanc vrbem meritis, quid de munificentia dicam? Aut quis de illa satis digne? Dicam tamen quantum ingenij summa patitur, siquid

enim

enim est in me vocis, siquid in me virium, eò transferenda iam mea tota vox est, vt benemeritæ de vobis fœminæ liberalitatem notam faciam. Quantum beneficij magnitudine delector, tantū loci huius angustijs excrucior. Iam vellem esset ad singulos mea vox, ea enim res agitur, quæ ad singulorum vtilitatem conducit, ea, quæ singulorum memoriam postulat sempiternam; Cuius enim vt multa prætercam, munificentię fuit, sua publicos in vsus deuouere.

Magni huius in vos Fęminę studij fuit, vos amplissimis muneribus augere, magni lucem inferre, maximi vero domi suæ Vrbem totam excipere, nec te chariori illa loco, nec tu excipi Ciuitas nobiliori loco poteras, te, dum viueret, cordi habuit, te functa domi suæ admittit. Huius animo per mortem excidis, huius iussu domi suę commoraris, quanquam vix eam mori puto, quæ tot Ciuium saluti consuluit; Viues, & viues Deuota, non ea vita quidem, quę exiguis annorum finibus continetur; at ea mehercule, cui nulla est allatura finem ætas. Iam vero quibus ego laudibus prosequar; qua beneuolentia complectar tantam singularis Fęminæ liberalitatem? Cuius ope sapiunt multi? Cuius munere sapit Ciuitas? Cuius cura inscitia ipsa excedet, erumpet, euadet? Deuotæ in hanc Vrbem beneficia vel ex eo conijcite, quod sapientiam vestram in plebem intulit, imo sapientię quoddam quasi signum sustulit, quo tandem loco? in eo scilicet, quem refertum tot nunc sapientibus intueor, quot estis.

Gaudetis Ciues optimi! vos in sapientiæ lyceo commorari, lyceum istud Deuota constituit; Gaudetis liberales disciplinas hoc præsertim loco florere, his locum Deuota fecit; Gaudetis liberos vestros optimis artibus imbui, Hos imbuit Deuota, moribus informari, exemplis augeri, Hos auget Deuota: Hæc certę dux multorum fortunæ, famę, nominis denique vestri est futura, hæc virtutis specimen, hęc lumen Vrbis, hęc vos vobis, absit verbo inuidia, vrbem vrbi restituit. Quis interclusam dicendi viam aperuit? Quis cursum strauit ad gloriam? Quis laudum vobis segetem ministrauit? Quis honoris curriculum patefecit? Non ne Deuota? Non vobis vestras diuites diuitias, non antiquæ huic vrbi antiquitatem gratulor, hanc Ciuibus Ciuem, hanc Vrbi Fæminam inuideo. Quæ virorum debet esse laus, cum in fæminis tanta sit gloria? sed quò me mea rapit Oratio? Conferte nunc Vrbem Vrbi, Vintimilium, Vintimilio, liberis liberos. Anteactę nunc ætatis memoriam repetite, quantum mutatum ab illo Vintimilio

timido? Plebis olim erant mentes angustæ, rudes, rerum omniū inscite, prauæ, oppletæ tenebris, nē dicam, & sordibus; audaciā virtutem, furorem fortitudinem, temeritatem consilium vulgus existimabat. Proh dolor! quam deiecta, quam ignara plebs incedebat, quam verbo aspera, quam moribus soluta, quam expers consilii, quam inops ingenii, mutos liberos, elinguem adolescentiam, tacitam, & fractam plebem videbatis. Virtus auro parabatur, nūnc studio acquiritur. ò mutatas feliciter rerum vices! Vnius Fæminæ munificentia lucem in hac vrbe vestrum pars insima recipere cæpit. ò lętam, ò optatissimam Vrbi diem quæ diebus singulis lucem attulisti, ò diem ab hac Vrbe condita optimā, quæ tenebras splendore, inscitiam scientia, sordes nitore mutauit. Nūnc iuuat, aspicere, & in dies singulos magis benèmoratos iuuenes, compositos vndequaque pueros, imbutos optimis institutis animos, refertas adminiculis mentes.

Tum demum quo pacto, & huius beneficij magnitudinem, & Vrbis vestræ prosperitatem assequi potero? quæ tanto muneri nō sit impar oratio? quæ vis ingenij, quæ dicendi copia adęquare, vt par est, possit omnes omnium temporum, omnium ætatum artes vestro in solo fæliciter excitatas? quanto hæ vobis adiumento, quanto iuuentuti ornamento, adolescentibus perfugio liberales futurę sunt disciplinæ? quæ ab illis in vos commoda redundabunt? quę laudum seges vberrima? quę amplissima laudum copia? vrbem ipsam fęcundabit? his suffulta radicibus, his innixa firmamentis ad memoriam hominum sempiternam vrbs vestra consistet. Lugenda iam non est huius plebis conditio, cui summæ Deuotæ beneficio fortuna nunc longe melior, & pręstantior accessit. Mirabar ego quid esset, cur in amplissimo Ciuitatis vestrę consessu, in qua summa sunt omnia, iacerent aliquibus artes, torperent literę; quandoquidem nulla rudibus, nulla deiectis, aut infimæ sortis hominibus excolendarum artium copia suppeditaret, ò meliora anteactis temporibus tempora, vnius Fæminæ, & quidem ad summa omnia natę, munificentia multorum cautum est inscitiæ, quo ego eam nomine appellem? Dicam augustam studiorum Magistram, gloriæ Authorem? Litterarum Ducem? Vintimilij decus? illius hæc sunt leuiora meritis nomina: vt enim omittam bene meritos de vobis Ciues, hæc se vobis, & sua deuouit; non illa plebis inopiam expulit, sed ignauiam deturbauit, nō corporibus eiusdem curandis consuluit, sed informandis animis indulsit; dedit illa operam, ne quid ab ignorantia plebs detrimenti

menti caperet, prospexit, ne qua ab inscitia labes in Vrbe obrepetet. Fuerit maioribus vestris, sit & vob ipsis iucundus Albinus, à quo Albintemilium, Deuotæ (absit verbo inuidia) maiora debetis, Vrbē ille excitauit bello magis, quam pietate claram, armorum quidem studijs asperrimam, at vero religionis omnino expertem; mœnibus hanc ipse muniuit, & sepsit, hanc illa moribus ornauit, institutis restaurauit, muneribus ampliauit, vter maiora in vos beneficia contulerit, vel ex eo conijcite, quod illius iamdudum opera vetustas confecit, tempus abrumpsit, huius vero Fœminæ, quæ extant apud vos monumenta, florescent quotidie magis, hæc posteritas intuebitur, hęc æternitas asseruabit, nulla hæc temporis edacitas abradet, nec ipsa rerum humanarum, vt ita dicam, domina Fortuna diripiet, nulla ætatum iniuria sordescent, nullis Cęli minis deficient.

Gratulari certè illa vobis videtur, animaduertite quâ vos illa voce compellet. Valeant, inquit, conciues mei, ingenij laude polleant, floreant, vigeant, assurgant, optimis iuuentus pręceptis inclarescat, adolescentium ętas ijs disciplinis excolatur, quibus in dies magis, & magis ad virtutem accedat, è pueritiæ ludo, ex ipsius vel infantiæ sordibus his excitata præsidijs ad minora nata plebs artes meliores edilcat, his demum vitam componat, mores ornet, sordes abluat, vilia quæque deijciat, nullibi sit melior disciplina virtutis, nullibi magis litterarum quę extant studia, cōmendētur, flet hæc vrbs præclara, quod si mihi laborum meorum perspicere fructus, per mortem nō licet, si frui mihi Ciuitate non datur, illà illa benemorata delector, muneribus meis aucta conquiesco, ò mei non frustra susceptì labores, non spes fallaces, aut cogitationes inanes! Orationi meę occurris nobilis Anima, subside parumper fælix vmbra; tibi ipsi gratulare, gaude, [si rebus adhuc humanis delectaris] tum huius vrbis fortunę, tum præclara tua illa natura, quę ad omnia summa nata, non nisi summa poterat suadere; non est quod operi tuo timeas, desine iam, desine commoueri, tua iussa perficiet, qui tua sibi mandata suscepit, tuo iam cautum est honori, consultum menti, tua sunt in honore consilia, tua omnium in ore cogitata, vnius sunt cordi opera, cuius certè nomen, vt pudori parcam, conticesco; tua non tot sunt mandata, quot ab illo sunt gesta, quo tibi vt nullus iam gratior extitit, præter amantissimum Sponsum, dum vita maneret, nullus imposterum tui studiosior est futurus. habes quod gaudeas, tu m ille mentem induit, qui tua bona adijt, cui tua dum obuenit hęre-

 ditas

ditas, obtigit & pietas quantum olim tuæ cum obsequi voluntati delectabat, cum tar [illegible]mdem tua nunc exequi mandata delectabat, hęc cætera ad sua gaudia voluptas accedat, hęc te prę reliquis consolatio sustentet, quod tibi nullum ab illo studij, nullum pietatis officium deerit, maxima quęque nomini tuo soluit, immensum propemodum, ac infinitum est quod profitetur, sed tuæ vim facio virtuti, Vir Amplissime: hoc solum laude maior, quod laudes refugis, malo itaque tuo indulgere pudori, & quidquam detrahere laudi, nihil amplius dicam, quamquod omnibus innotescit, te non Deuotæ tantum iussibus obsecundasse, imo vero occurrisse, quamquam summæ pietatis fuit, citiùs quã in mandatis haberes, operis, quod illa cogitabat, fundamenta iecisse. Dixi.

ILLVSRTISSIMÆ D. DEVOTÆ MARIÆ ORENGHÆ

De sua humaniorum litterarum institutione.

Dialogismus.

VIsta licet fueris, tardo seù vecta pheretro
 Te nolo alloquiis abstinuisse meis
O vtinam eloquiis! ℣. Quę sensa profunda foueres
 In Patriam? ℟. Miris hanc animare modis.
℣. Qua ratione? ℟. Cibo sapientum, aut munere Phœbi,
 Dulcius aut melius quo nihil esse potest.
℣. Ad quantum tempus? ℟. Conclusum limite nullo;
 Nam virtus nullo limite clausa iacet.
℣. Cuius opum expensis potuisti educere molem?
℟. AEre mihi tantum quod dedit aura Iouis.
℣. Quorsum? ℟. Nè vitam pecorum de more Iuuentus
 Duceret, ast animi dotibus aucta foret.
℣. Id quando egisti? ℟. Nostram quo temporis Vrbem
 Esset rubigo, siue senecta vorax.
Mox ego, paulatim nè Patria nostra periret,
 Muniui, huic vitam, qua caritura, dedi.
Ergo si Patriæ vitam, lucemuè dedisti,
 Quomodo credidero te potuisse mori?
Imò credidero vita meliore potitam:
 Non moritur, vitam quę, moriendo, parit.

IL-

ILLVSTRISSIMO DD. IO: ANGELO ORENGO
D. PAVLI HIERONYMI FILIO
ILLVSTRISSIMAE q; D. DEVOTAE MARIAE
Consanguineę mandatum exequenti in subita
Theatri litterarij erectione.

VIx animam Cælo Deuota Maria remisit,
Postquam Palladios iussit in Vrbe Lares,
Nempe Lares nunquam morituros: Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum Palladis arte stetit.
Palladium Graia raptum nisi fraude fuisset,
Non cecidisset humi Troia cremata focis.
Fecit inaccessos Virgo Tritonia muros,
Egida seu quateret, siuè diserta foret.
Heroina sagax, nè Patria fortè periret,
Palladium propria iussit in Vrbe recens.
Tu renuis mandata tuę diferre Mariæ,
Illius actutùm iussa suprema facis.
O pia sic Hæres omnis legata repleret?
Christias haùd esset tot grauidata malis.
Nonnè pium credi legatum debet idunum,
Præbita quo Patrię vita salusue fuit?
Illa senescebat, moreretur, Palladis arte
Ni vegetata foret, sic vegetata viget.
Angele, nè metuas, viget, æternumque vigebit
Illa: tuæ doctę das alimenta Deæ.

Præ-

Præcicto Illustrissimo

D. D. I. ANGELO ORENGO

de eodem litterario Theatro.

Angele, vix spolium Deuota exuta caducum est,
Cù citò Successor, quidquid amauit, amas.
Tu Successor amas, doctum statuisse Lyçæum,
Quod sibi propositum mente sagace fuit.
Illud confestim generosa Iuuenta frequentat,
Vt rudis ingenij nubila densa fuget.
Sic radiat mens omnis ibi saturata nitore
Perpetuo, Phœbi semina clara trahit.
Non ideò miror, si te domus omnis adoret,
Ac Patriç dulcis prædicet esse Patrem,
Atqui Deuotam Matrem, aut pietatis Alumnam,
Quç peperit nitidas Bellerophontis aquas.
Semina Virtutum, nunquam morientia, crescent,
Papinianeç constituentur opes.
Non deerunt Coi prçcepta salubria Patris,
Effætas vires quç reparare docent.
Immò Sacerdotes, Phœbo qui digna loquentur,
Ac spatia immensi Numinis ampla legent.
Maior es Albino: Patriæ Is dedit esse caducum,
Tu dabis æternum; Nesciet illa mori,

Ei-

Eidem Illustrissimo

D. D. IO: ANGELO ORENGO

De eodem Virtvtvm Theatro.

DOcti plùs vnas evitauère ruinas,
Vrbibus ereptum restituère decus.
Iam vastata fuit rabioso Marte Stagyris.
Aut rutilo cecidit semicremata rogo.
Non species, aut vultus erat speciosus in illa,
Vt reor, ad nihilum penè redacta fuit.
Doctus Aristoteles immersam funere vitę
Reddidit, ornauit lucè priore Lares,
Ab Rege obtinuit Pęlleo, vt ducere vitam
Disceret, inque statu, quo fuit antè, foret.
Immò statu meliore foret. Tua Patria multas
Est experta vices, vndè senilis erat.
Hinc docti exiluère Viri, producere vitam
Qui docuère nouam, flore recente nitet.
Sed magis vt niteat, iussit Deuota Palestram
Virtutum æternam, nè moribunda ruat.
Nè ruat, ipse statim iussam producere molem
Arsisti, summos præposuisse Patres.
Quis dubitaret adhùc inter te adscribere Doctos?
Quòd citò tàm doctum sis fabricatus Epos.

Eidem Illuſtriſsmo
D. D. IO: ANGELO ORENGO
Super eodem Theatro.

Fœlices Vrbes, in queis diuina Sophia
  Prominet, aut clavum ſola tenere ſolet.
Non metuunt bellum AEoliū, non fulmina Olympi,
  Non de Tænario prodita Mōſtra lacu.
Securę viuunt, in quas Mauortia caſtra
  Vix audent Furias exacuiſſe ſuas.
Ipſa Sophia ſolet venerabile Numen haberi,
  Quod metuunt omnes, & metuendo colunt.
Quùmque colant omnes, omnes offendere ceſſant,
  Illius ora nimis quòd veneranda micent.
Finibus extremis Ligurum tua Patria ſurgit,
  Angele, quotidiè bella timere poteſt.
Nè timeat, ſtabilire dedit Deuota Sophiam,
  Et ſibi perpetuos ædificare Lares.
Protinùs ædificas, ac tantum Numen in Vrbe
  Conſtituis, profugum quod quaſi lumen erat.
Nunc firmum, fixumque micat, ſemperque micabit,
  AEre perennatum conſtituente Thronum.
Gaudeat Int-milium te ſic animante Sophiam:
  Hęc ſibi inocciduo lumine Numen erit.

Præ-

Prædicto Illustrissimo

D. ORENGO

Feracitas in sterilitate.

QVę sterilis fuerat, gnatorum prole, Virago,
Indignata fuit, prole carendo, mori.
Hinc didicit senio, fatouè vrgente supremo
Non equidem Pueros, sed generare Viros.
Te primò instituit consanguinitate propinquum
Extrema in tabula, substituituè sibi.
At graue iussit onus, Quid ego? Tibi iussit honorem:
Posse Mineruali Prole nitere dedit.
Iussit in Vrbe sua, Patriauè creare Mineruam,
Quæ fuit è veri vertice nata Iouis.
Fit mora nulla, creas ità iussus in Vrbe Mineruam,
Vt creet innumeros arte sagace Sophos.
Prole quis Orengam caruisse fatebitur omni,
Si sine prole licet, prole scatère sapit?
Gnatus adoptiuus cùm sis, facis esse feracem
Protinùs, Int-milij dùm sua vota reples.
Quippè scientificos in Palladis æde labores
Accendis, doctos distribuendo Lares.
Non Maro, nec Cicero tàm claro hærede perennat,
Quàm Deuota: refers Angele, qualis erat.

Ad-

Admodum R. D.

D. IOANNIS BAPTISTAE CORVESI

De sua Oratione Panegyrica erga Illustrifs. q; D. Deuotam Mariam Orengam humaniorum litterarum Institutricem.

NOn semel, ast iterùm legi tua sydera mentis,
Quę paucis florent irradiata notis.
In mirum placuère modum, speciosa coronant
Deuotæ Senium, fœmineumuè genus.
Paucis illa quidem video stellascere chartis
Non tamen Elogio sunt animata breui.
Multiplicata nitent, doctis variata figuris,
Multiplicis quoniàm semina laudis habent.
Si genus, & Proauos, & quæ non fecerat ipsa
Ornamenta velim, Penegyrista refers.
At magis irradiat, quòd fecerat ipsa, Theatrum
Virtutum, Iuuenes queis animare soles.
Sic animas vnam Virtutibus omnibus Vrbem
Intimilij, senio quæ propè fracta fuit.
At non fracta iacet, senio iuuenescit ab alto,
Sydera syderibus facta marita nitent.
O quãtam in segetem Virtutum Vrbs ipsa nitebit,
Tu nisi desistas scis animare modis?
Coruesi, noua perge tuæ dare sydera mentis:
Patria phębescet, Phosphorus esse sapis.

præ-

Prædicto admodum R. D.

D. IOANNI BAPTISTAE CORVESIO

Intimilij humaniorum litterarum Professori.

ENs imperfectum Physici muliebre fatentur
Compositum, magni quòd nihil istud agat.
Hinc imperfecto perhibent de spermate cretum,
Aut genitum in læua parte fuisse docent.
Quocircà facinus tractare virile refutat,
Odit, & inuicti Numinis arma sequi.
Hi quamuis fuerint verum plerumqne locuti,
Quandòquè errarunt, non ità semper hebet.
Immò super sexum nonnunquàm Fæmina surgit,
Gaudet anhelantes ducere Martis equos.
Nec Martē dùmtaxat amat, fortemque Mineruam,
Ast etiam doctam facta Sophia colit.
Huic par, aut similis Deuota Maria refulget
Vt rutilum Sydus, fæmineumuè Iubar.
Nonnè iubar Phæbi? Phębum introduxit in Vrbem
Int-millij Phæbo constituendo Larem.
Tàm doctum colis ipse Larem, Phębiuè recessum,
Hinc Phębi eloquio fulgidiore nites.
Incola factus oua, Coruesi, hoc munere Phębi
Vtere; Non humilis Fęmina, Diua dedit.

H. S.
Petrus Andreas Trincherius I. V. C.
Niciensis Academicus Ardens &c.

F A1

Al Molto Reuerendo Padre Mastro
G. NDOLFI
Agostiniano.

SOpra l'erettione del Tempio delle più humane lettere stabilito dalla Nob. Memoria della Sig. DE VOTA MARIA ORENGA Matrona Illustre di Ventimiglia, degna Zia del Sig. GIO: ANGELO ORENGO suo Nipote, de gl'Illustri Patritij Ventimigliensi.

S'Inuita il detto Padre à indrizzare in quella Città l'Accademia de gl'Oscuri, acciò possino sù basi così meritorie, e diuote alzar Trofei al di sopra, d'vn antica obliuione.

ODE

O D E

DEL SIG. GIO: FRANCESCO MARTINI de SS. di Castelnuouo di Nizza.

ANDOLFI ahi come muore
Ne più vasti Licei l'arte del dire?
Interessato Amore
Suole con frodi aperte vn Cor vestire,
Auaritia, & Inganno
L'Huomo più saggio ammaestrar si danno.
Ben lo seppe Colei,
Che più, ch'al nome à l'Alma sua Deuota
Erse Tempij Febei,
Acciò il Tempo giamai li roda, ò scota,
Tempij cotanto Illustri,
Che stancheranno à mille à mille i lustri.
Quell'Ammazzone Saggia,
Ch'in Bellezza, e Virtù tanto fiorio
Da la Ligure spiaggia
La tolse il Ciel per tributarla à Dio.
Hebbe il Cor assai grande;
Mentre d'ogni Virtù Teatro spande.
Hauran' Sassi loquaci
Quelle mura pria indotte, hor erudite.
Ei più Stolti, e Incapaci

S'as-

S'asconderan dal Vergognoso Dite;
Sol vn Angelo basta
Per dottrinar Chi à la Virtù contrasta.
Or à Voi si conuiene
Degno Nipote à l'eloquente Aprosio
Con Retoriche Vene
Ravuiuar in Voi stesso vn altro Ambrosio,
Acciò ài deuij Agostini
Detti in Liceo sì bei dogmi Diuini.



